De mammarum inflammatione.
CAPVT *XVI.*

MAMMAE non aliter quàm cæteræ corporis partes inflammatione laborant, Quod dum cõtingit, quæ sit pars affecta, quisue affectus ipse, satis patet. Causa eiusmodi phlegmones est copiosi sanguinis ad mammas affluxus, vel lactis copia: (siquidem retentum lac putrescit) vel eiusdem instar casei coagulatio: ad quam concurrunt lactis crassitudo, & calor mamillarum. Sanguinis autẽ redundantia quouis tempore eam excitat, & proprijs indicijs dignoscitur. Lactis copia puerperis, vtero gerẽtibus, & quibus menses detenti fuerunt, superuenit. Vno enim trium dictorum modorum lac habent in mamillis mulieres. Omnibus inflammationibus mammarũ adiungitur febris, & omnes comitatur dolor, calor, grauitas, & durities. Si à lactis copia est, ijs tantùm quæ partui proximæ sunt accidit, aut quæ pepererunt, & rubor eis est minor, atq; calor. Illæ etiam quæ à sanguine malum patiuntur, priùs dolores in dorso, spatulis & axillis senserunt, aut mẽses si fluere ipsis lactantibus solebant, fuere suppressi. Mamillarum inflammationes non negligendæ sunt. Nam cùm sint adenosę & laxiores, & pauci calidi innati, facilè in scirrhosum tumorem, & demũ in canceroſum vergunt: aut phlegmone suppurata, ac ad abscessum progrediente, exedens vlcus cõsequitur. Maximè scirrhus fit ob diuturniorem vsum repellentium, quæ materiam congelarunt, aut post fortiter digerentia, quæ id quod est tenue, euacuarunt, & quod est crassarum partium, crassius reddiderunt. Cancer autẽ tumor est durus, qui sensim incipit, scirrho similis, nisi quòd dolorem parit, scirrhus verò sine dolore est. His affectibus victus tenuis imperetur: & qui sanguinem vel lac minuit, vt beta elixa cum oleo & aceto, aut poma assa, ouorum vitelli tremuli cum succo arantij, mica panis lota. A iure carnium abstineant. Potus sit decoctum cinnamomi, aut si febris adsit vehemens, aqua hordei. Clysteribus venter leniatur. Fiant crurum frictiones. Somnus moderatus procuretur. Quædam vigilias patiuntur præ dolore & calore, quędam ob sanguinis vaporem immodicè dormiunt.

Causa.

Signa.

Prognostica.

Scirrhus mammarũ.

Cancer.

Victus ratio.

Omnem

Omnem animi perturbationem vitent. In principio inflammationis confestim sanguis mittatur ex interna cubiti vena, vel media eiusdē lateris, siue ex sanguinis affluentia, siue ex lactis coagulatione, atq; putrefactione orta sit. Quòd si mēses suppressi fuerint, secetur vena interna malleoli lateris patientis. Mittatur sanguis pro virium robore, & copia sanguinis. Vena si opus erit, non semel, sed bis vel ter tundatur. Leniatur & venter medicamento purgante, vt manna, cassia, catholico, & consimilib. Postea repellentia adhibenda sunt, idq; initiò: quæ tamen nō valde repellant, ne in interiores partes nobiles humores detrudātur. Partes enim cordi proximæ sunt, quę in mammas sanguinis abundantiam deponunt, in quas nō expedit repellere, ne morbus lateralis, aut Pulmonia sequatur. Omnino tamē ne cumulatim sanguis influat, repellere expedit. Quare spongia posca imbuta loco inflammato imponatur: & solani folia cum butyro, aut aliquo eorum quæ discutere possunt, immiscenda sunt, præcipuè exacto phlegmones initio. In eundē vsum conuenit & rosaceum, cum succo aut stillatitio liquore solani, aceto, & decocto chamæmeli, vt in eis lintei madefacti imponantur. Valet & emplastrum ex farina hordeacea, semine lini, santalis, bolo armeno, adipe porcino & rosaceo compositum. Prosunt & solani folia cum butyro vaccino: & palmulæ in posca & oleo elixæ. Morbo in dissolutionē tendente, cōuenit farina fabarum cum melle: aut emplastrum quod Recipit farinæ seminis lini & fœnugræci ana ℥ j. farinę fabarū ℥ ß. Hydrelęo quoq; mammæ perfundantur. Parietaria etiā cum sapa & melle admouetur: vel emplastrū ex radicibus ac folijs althæę decoctis, seminis lini & fœnugręci farina cum oxymelite. Similiter medullæ panis aqua madefactę ac tritę partes duę, & perdicij herbæ pars vna. Si discuti inflammatio nequit, pro suppuratione adhibeantur emplastica, vt farina tritici cū hydrelæo. Ad suppurationē iubent etiā recentiores fieri emplastrū ex semine lini, & fœnugræci, caricis, radice althææ, & liliorū alborū, adiectis oleo chamęmelino & liliaceo, adipe porcina, gallinacea, & similibus. Suppuratione acta ad ruptionem, vel sectionem mammæ veniunt. Et apud illos medicamenta suppuratos in mammis humores

Curatio.

Topica.

A Neotericis desumpta.

emanare facientia ſunt fimus columbinus, fermentũ cum puluere cantharidum, calx viua cum fimo anſerino, & alia eiuſmodi acriora. His apertio procuratur. Sed pure exiſtente profundiori, pars candenti ferro vritur, vel locum prope papillam eligunt, & lunari ſectione vtuntur, vt abſceſſus profunditas denudetur, ac papilla conſeruetur. Si ad duritiem tendat phlegmone, adhibeantur mollientia, vt ſemen lini & fœnugræci aceto mulſo coctum, & impoſitum. Ad inflammationes ſimul & duritias optimum eſt quod Recipit butyri vaccini ℥ ij. axungiæ gallinæ & anatis, & terebinthinæ ana ℥ j. cæræ ℥ ß. liquefacta linteo excipiantur, quod mammæ imponatur. Porrò ſi propter lac coactum inflammatio accidit, eiſdem circa initia medicamentis vtendum erit, quæ paulò antè coagulato lacti conferre dicta ſunt. Quibus ſi inflammatio non cedat, ad ea quę iam commemorata ſunt tranſeundum erit. De mamillis earumque affectionibus præter hęc, alia ſcitu digna ſequuntur, quæ notarunt iuniores. Mamilla altera ex vlcere affecta, rarò ad ſanitatem reducitur, niſi altera quæ ſana eſt, à lacte exiccetur. Exiccabitur lac, ſi ægra puſioni lac ſugendum non dederit. In varijs autem locis mammarum vlcera contingunt, quia ſubſtantia eius mollis eſt ac ſpongioſa, quę ſi exulceretur, pus contentum non liberè effluit. Cæterùm mammæ tenues penuriam ſanguinis indicant: duræ illius multitudinem. His plus humoris ad conficiendum lac influit. Solidæ & mediæ inter flaccidas & renitentes commendantur. De Scirrhoſo tumore & canceroſo mammillarum, nec non vlceribus earundem, conſule chirurgos, qui de his abunde pertractarunt.

NICO-